



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Disputatio X. De Animâ separatâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

nem & facilitatem, quam quis acquisiuit ex oratione v.g. deperdi & destitui per hoc quod postea oret frequentius quam debebat; quis enim non dicit illum esse magis inclinatum ad orandum, quam antea? quomodo ergo amisit priorem inclinationem? Quod autem dicitur, eleemosynam v.g. præscribere medium, nihil aliud est in re, quam ad hoc ut actus sit virtutis eleemosynæ, debere habere medium, siue hoc præscribat ab eleemosynâ, siue ab aliâ virtute; oratio enim non prohibet per se ne nimium orem (hoc enim vel prohibetur ab amore proximi, quando nimia oratione impediatur illum iuuare; vel ab obedientia,

quando negligo mandatum propter orationem; 96 vel ab honesto amore proprio, quando nocet sanitati) ita similiter eleemosyna illa propriè non prohibet mihi ne furer, hoc enim prohibet virtus iustitiæ; ergo quando furor propter dandâ eleemosynam, non pecco contra misericordiam, sed solùm contra iustitiâ, ergo non eiicio tunc ex animo habitum inclinantem ad compassionem proximi egentis, sed habitum iustitiæ prohibentis ne alienum accipiam, & tamen, ut supra dixi, illud furtum non amatur propter se, ergo non requiritur ad oppositionem, ut obiectum malum ametur propter se.

DISPUTATIO DECIMA

De Animâ separata.



EIMVS de his quæ animo intra corpus conueniunt, restat nunc de illius separationis statu disputare; ac primum, vtrum sit, nec ne, talis status, seu quod idem est, an anima extra corpus conseruari queat, sicque naturâ suâ immortalis. Deinde, an talis status sit illi connaturalis, id est, non violentus. Tertio, quæ possit in illo exercere.

SECTIO I.

Anima diuina immortalitas.

QVAESTIO hæc vna est è grauiſſimis totius Philosophiæ: est enim non Christianæ solùm, sed, ciuiliſ vite vnica & firma basis, animæ immortalitas; quæ si negetur, corrumpitur Catholica & Christiana Religio, imò & sine illâ non posset vlla respublica conseruari. De hac questione nullus non differuit Philosophus, quantumuis ex antiquioribus, quia omnes (Epicureis exceptis, quos etiam secutus est Plinius l. 7. Naturalis historiæ cap. 55.) immortalitatem animi constanter asserunt, & præcipuè eam tutatus est Plato apud Conimbricenses de Animâ separata, disputat. l. art. 1. De mente Aristotelis non satis constat; plurimi enim & grauiſſimi Patres ac Philosophi opinantur ab illo negatam fuisse, eum verò aliq ab hac notâ vendicant. Conimbricenses autem, licet in eum aliâ satis benè affecti, omnibus tamen his perpensis, tandem concludunt, eum in hac re fuisse valdè ancipitem, & obscuritate verborum suam sententiam occultasse. sed quicquid sit de Aristotelis mente,

autem in vitam eternam. Totus liber Sapientia, præsertim à cap. 2. ad 5. hanc veritatem tradit, & iniquorum circa illam deliria refert, eosque ait tandem in inferno, serò licet, retractasse suum errorem. Secundo, etiam Fide diuinâ tenendum est, animum naturâ suâ habere hanc immortalitatem. Ante cuius probationem suppono, dupliciter aliquid posse dici immortale ex naturâ suâ. Primo & magis rigorosè, quia nullâ vi etiam diuinâ annihilari possit; quo sensu non tribuimus animæ immortalitatem, sine dubio enim à Deo diuinitus annihilari potest. Vtrum autem diuinitus possit esse aliqua substantia, quæ semel producta non possit annihilari, dixi alibi. Secundo modo latius sumitur immortale, pro eo, quod licet diuinitus possit petire, non tamen ex naturâ rei. In hoc sensu dicimus in præſenti animam esse immortalem. quod probatur ex Lateranenſi Concilio sub Leone X. Sessione 8. vbi definitur, animum naturâ suâ esse formam corporis, & esse immortalem, præcipiturque Philosophiæ Magistris, ut soluant argumenta, quæ contra hanc veritatem fieri possunt. Adduci etiam solet ille locus Christi Domini Matthæi 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, ergo quia anima est naturâ suâ immortalis; alias posset ab homine occidi.

Sed hic locus non vrget: licet enim solo Dei beneficio animus esset immortalis, non posset ab homine occidi; sicut si Adam non peccasset, non posset occidi, quantumuis ex suâ naturâ non esset immortalis. Secundo, quia licet naturâ suâ non posset ab vllâ creaturâ occidi, adhuc non sequitur non posse à Deo naturaliter destrui, ergo ex hoc loco nihil probatur.

Afferri etiam solet alius locus ex Sapiente, qui de impiis dicit, errasse dum negarunt animi immortalitatem; non autem diceret errasse, nisi immortalitas animæ conueniret ex naturâ suâ, & consequenter posset naturaliter cognosci. Sed & hoc testimonium parum vrget, quia etiam dicit ibi de eis, errasse præcisè, quia dicunt non futuram resurrectionem, cum tamen hæc non sit futura ex naturâ rei, sed ex solâ voluntate diuinâ. Adde, ipsum Salomonem declarasse ibi errorem impiorum, eiusque causam, quia scilicet nesciuerunt Sacramenta Dei, ergo errauerunt non præcisè quia res naturales independentes à liberâ

SUBSECTIO PRIMA.

Anima est immortalis.

VERA & Catholica doctrina docet, nostrum animum perpetuò duraturum. Innumera possunt pro hac veritate Scripturæ & Conciliorum testimonia congeri: nobis vnum vel alterum sufficiat. Ecclesiastici 12. *Ibit homo in domum eternitatis sue*. Matth. 25. prædixit Christus, peccatores in iudicio à Deo relegandos in ignem æternum, *Ite maledicti in ignem æternum*, bonos

voluntate Dei non cognouerint, vt volunt, qui hoc loco vultur, sed quia nec ipsam resurrectionem mortuorum, gloriam, & infernum (quæ omnia non ex naturâ rei, sed ex sacramento Dei nobis per fidem reuelato, proueniunt) ignorauerunt. Ratio à priori, quia ad errorem sufficit, si negetur id quod verè datur à parte rei, etiam si illud miraculosè existat: vnde qui negat Christum venisse, errat sine dubio, cum tamen ratione naturali ea vnionis existentia probari non possit; ergo ex hoc loco nullatenus inferitur immortalitas animæ ex naturâ rei; solum ergo ea probatur sufficienter ex Concilio Lateranensi supra relato.

Sed obiicies ex Scripturâ illud Ecclesiastæ 3. *Vnus est interitus hominis & iumentorum, & aqua vtriusque conditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, & nihil habet homo iumento amplius.* Respondent Conimbricenses, hæc verba in personâ impij dicta fuisse. Verum in toto illo capite Salomon in propriâ personâ loquitur, & quæ ibi antecederet dixit, non possunt stulto & impio adaptari. Melius ergo ipsi respondent Secundò, ex pluribus Patribus ibi esse sermonem de interitu compositi, non animæ, totus autem homo ita perit sicut iumenta, & tam nequit naturaliter sicut illa refurgere.

6. Secundum locum Scripturæ sibi obiiciunt Conimbricenses ex Sapientia 2. *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus.* Miror hunc locum obiici contra positam veritatem, cum Scriptura expressè ante illum doceat, *dixerunt intra se, cogitantes non rectè.* vnde debebat potius adduci hic locus à Conimbricensibus in confirmationem nostræ sententiæ, quàm pro obiectione petente solutionem.

Melius ergo obiicitur Secundò ex vi. Synodo generali, actione 11. in Epistolâ Sophronij, vbi dicitur, intellectualia & inuisibilia (quibus anima & Angeli comprehenduntur) non per naturam, sed per gratiam Dei esse incorruptibilia; hæc autem Epistola approbata fuit à Concilio, ergo definitum est ibi, animam non esse immortalem naturâ suâ. Communis & vera huius loci expositio est, ibi à Sophronio gratiam vsurpari pro dono Dei etiam naturaliter debito, quod potuit tamen de potentiâ absolutâ denegari: in hoc autem sensu solum esse ex gratiâ Dei animam immortalem, dixi supra, quia licet naturâ suâ immortalis sit, pendet tamen eius immortalitas à gratiâ Dei, volentis animo sua iura seruare, quæ posset pro libitu diuinitus non attendere: item & à purâ liberalitate eiusdem, volentis animam creare, ad quod nullatenus tenebatur. Iuxta hanc explicationem intellige alios Patres immortalitatem animi gratiâ Dei adscribentes.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quibus rationibus id suadeatur.

7. **S**ED age, rationibus sententiam hanc confirmemus. Prima sit, quam afferunt Conimbricenses: Quia anima est substantia per se subsistens, & spiritalis, ergo immortalis. Pater consequentia, quia ob id solum Angeli sunt immortales. Hæc ratio non vrget, quia tam difficulter redditur ratio de immortalitate Angeli, quàm animi; esse autem spiritualem, non arguit immor-

talitatem, quia res spiritalis potest esse defectibilis, vt sunt omnes actus spiritalis animæ; esse verò subsistentē per se, vel potest intelligi pro potente per se sine corpore existere, & vt sic assumitur conclusio pro Antecedente: vel vsurpatur pro subsistente completè, & in hoc sensu falsum est Antecedens, nam anima non est quid completum subsistens. Si tandem accipiat pro habente subsistentiam, verum est Antecedens, non tamen arguitur inde immortalitas animi, quia etiam animæ brutorum habent subsistentiam, & tamen sunt mortales.

Secunda ratio affertur ex spiritualitate animi, quæ probatur ex cognitione obiecti spiritalis: hinc autem probatur independentia illius à corpore, & consequenter eius immortalitas. Sed neque hoc vrget, quia vt dixi supra Disputatione v. à numero 17. potentiâ materialis potest obiectum spirituale cognoscere, ergo ex hoc non probatur spiritualitas. Deinde admittis spiritualitatem animi solum probasti, eum esse independentem à materiâ, & posse sine illâ aliquamdiu conservari; at, petere durare in perpetuum non probasti, præsertim cum, iuxta dicta à nobis Disputat. iv. à numero 214. possit esse aliqua entitas naturâ suâ fluida, quæ causis eodem modo existentibus petat aliquamdiu durare, non tamen semper, quo corrui aliud argumentum, quod desumi solent ex carentiâ contrarij quam habet anima, eo quod non pendeat à subiecto. Corruit, inquam, hoc argumentum, quia res non habens contrarium, & à solo Deo conservata, potest esse defectibilis, vt ex speciebus soni & alijs late probauimus, vbi proximè.

Tertia ratio eruitur communiter ex rectâ Dei iustissimi iudicis gubernatione ac prouidentia, quæ exigit vt quisque iuxta sua opera accipiat vel præmium pro bonis, vel supplicium pro malis, sed in hac vitâ non semper id præstatur, vt passim videmus, ergo debet in aliâ, ergo anima est immortalis. Explicatur: indecens est Deo, vt eos qui pro tuendâ Religione, cultu, & gloriâ ipsius se tormentis & ignominia mortis obtulerunt, post eam sine præmio vlllo relinquat, possent enim illi merito de se dicere, *Miserabiliores estimus omnibus hominibus*, prout Paulus in simili dixit occasione; è contrario verò patitur eorum occisores, vsurpatores bonorum, rerum publicarum euersores, blasphemos, adulteros, homicidas, periuros, prædones, &c. impunes, & de suis sceleribus gloriantes abire: ex quo sequeretur, nullam Rem publicam posse rectè gubernari, sine freno enim supplicij omnes libere post suas cupiditates & delideria contra rationem abibunt, iuxta illud stultorum; *Exiguum & cum radio est tempus vite nostre. Venite ergo, fruamur rosis, antequam marcescant: nullum sit pratum, quod non pertransit luxuria nostra, opprimamus iustum, &c.* Ergo dicendum est, post hanc vitam esse locum præmij & supplicij, & consequenter animam extra corpus durare, esseque immortalem. Accedit huic argumento, homines appetere quietem & tranquillam vitam, quam in hoc mundo & in rebus caducis non inueniunt, ex quo fit, vt creatorem appetant, eo frui, ipsum possidere, &c. quæ omnia requirunt animi immortalitatem. Ad hoc argumentum & eius confirmationem reducuntur alia, quæ longioribus verbis & iisdem senten-

11 tuis explicari solent: estque hac ratio probabilissima, non tamen demonstratio. ea enim solum videtur convinci, post hanc vitam futurum premium & supplicium, & consequenter duraturam animam; id autem futurum per aeternitatem, non probat evidenter: ut enim terreantur homines a voluptate vnius horae (quid? vnius instantis) sufficiens videtur (stando solum rationi naturali) poena gravissima, qualis est poena inferni, etiam per dimidiam horam; quid si per mille aut quatuor millia annorum, licet non duret in aeternum? Idem est contrarium est in premio. Præterea appetitus quietæ & tranquillæ vitæ sufficienter videtur expleri per possessionem Dei, & solum vel tria millia annorum durantiem, æternitas autem premij vel poenæ non videtur tam facile ratione naturali monstrari, ergo immortalitas animi non evincitur his rationibus, solum probantibus, eam debere durare aliquantulum. Et hinc infirmantur etiam alia argumenta, quæ ex extasi quam patiuntur homines aliquando, desumuntur: ea enim probant solum, animam esse independentem à corpore, posseque sine illo aliquamdiu durare, non tamen probant, semper duraturam. Item illud, quod desumitur ex honore qui etiam mortuis debet adhiberi, non autem adhiberetur, si anima non duraret. Aliud item ex timore & horrore, quem habemus naturaliter ex homine mortuo: nisi enim animam illius vivere iudicarem, non maiorem nobis ingereret timorem, quam equus mortuus. Hæc, inquam, argumenta probant, animam durare post mortem, non tamen semper.

12 Ex his intelliges, bene Augustinum dixisse lib. 13. de Trinitate, cap. 9. humanis argumentationibus vix paucos magno ingenio præditos, otio abundantes, subtilissimisque doctrinis eruditos ad indagandam animi immortalitatem pervenire potuisse, unde plures è Philosophis antiquis, licet animum post mortem diu durare asseruerint, quod rationes supra factæ ostendunt, dixerunt tamen, in æternum non duraturam. Nihilominus non deficit probabilis saltem pro hac sententiâ ratio, quam sic formo: Licet possibile sit aliqua forma substantialis, quæ independentem à corpore duret aliquamdiu, non verò semper; possibile est tamen alia quæ ex se perpetuò petat durare, quia in eâ nulla relucet repugnantia aut contradictio, ut per se patet: sed posita possibilitate talis formæ: certè rationes supra factæ satis ostendunt, nostrum animum esse eiusmodi, ergo Probo Minorem: argumenta enim supra facta probant, animam durare aliquamdiu independentem à corpore, conservari à solo Deo, & non habere contrarium, ergo ea perpetuò duratura est, quia causis eodem modo se habentibus dicendum, effectum eodem modo conservandum, nisi aliqua experientia aut ratio sit, quæ oppositum suadeatur, ut eam esse in speciebus intellectualibus; & in speciebus soni, ostendi supra eâ Disputatione IV. numero 214. quapropter eas naturâ suâ defectibiles dixi: at in animâ nulla est experientia aut ratio, quæ probetur, eam esse defectibilem; ergo conformiter naturis rerum philosophabimur, si illam perpetuò duraturam dixerimus, quia illius causæ semper se habent eodem modo. ex quo, si nihil obstat, ut non obstat in animo dixi, sequitur, effectum eodem modo semper exiturum, ergo & animam semper duraturam; ponere enim illam aliquamdiu durantiem, non verò semper, cum nulla sit ad hoc ratio vel experientia, omnino gratis videtur dictum & sine fundamento. Et hæc est probabilissima pro hac sententiâ ratio, naturalis, quamdiu in se à priori non noscimus animæ naturam.

SUBSECTIO TERTIA.

Aliquæ obiectiones solutæ.

14 **O**BJECIES: Anima pendet à corpore in operando, ergo in essendo. Primò respondeo, animam fortè multos efficere actus independentem à corpore, ut cum cognoscit se amare, intelligere, &c. quod nō cognoscit dependentem à phantasmatibus, iuxta dicta supra. Deinde respondeo, idem animam, dum est in corpore, ab illo pendere, quia accipit species mediis sensibus corporis, separata autem, & retinet species spirituales quas habuit in corpore, & alias novas acquirit, quibus independentem à corpore intelligit. Quod si Ecclesiasticus cap. 9. dicit, *Mortui nihil novērunt amplius*, & infra, *Nec ratio nec scientia est apud inferos*, intelligendus est docuisse, vel non esse apud inferos cogitationes, iudiciumve rectum, quia in damnatis omnia turbata sunt, vel non esse in illis cogitationes de rebus caducis possidendis, de quibus in hac vitâ semper cogitabant; & hoc insinuat Psalmista Psalmo 145. vbi de impiis ait, *In illâ die peribunt omnes cogitationes illorum*; vel denique, quia licet alia ibi sciant, non tamen ea quæ circa nos contingunt.

15 **O**BJECIES Secundò: Ergo anima bruti erit immortalis. Patet, quia tam in homine pereunte nullam agnoscimus operationem, quam in bruto, ergo. Respondeo, non probari à nobis immortalitatem, quia videamus operationes post mortem, sed ex premio & poenâ in aliam vitam reservatis ex independentiâ animi, quia spirituales, à materiâ, quæ deficiunt in brutis.

Contra hanc secundam partem videtur stare P. Vaquez Tomo 2. in 1. Partem Disputat. 182. docens, animam posse comparari vel cum aliis creaturis, & ut sic dicit eam esse omnino immortalem naturâ suâ, quia à nullâ creaturâ annihilari potest, & in hoc sensu explicat Concilium Lateranense, & Patres aientes, animam naturâ suâ esse immortalem: vel posse comparari non cum creaturis, sed cum Creatore; ut sic autem dicit eam naturâ suâ esse corruptibilem, seu mortalem (quod & ad Angelos, & ad omnes alias creaturas extendit.) probat autem id ex Patribus, qui dicunt, animam & Angelos ex gratiâ Dei esse immortales.

16 Secundò, quia destructio animæ & Angeli non est supra vires Dei, cum ipse absolute eos possit annihilare; neque est supernaturalis respectu ipsorum Angelorum aut animæ, quia ea annihilatio potius est illis violenta aut contraria, quam supernaturalis; neque enim est sicut gratia, aut alia dona, quæ ob suam perfectionem excedunt vires naturæ. Hoc ipsum potest amplius confirmari: quia sicut res create secundum suum esse possibile non habent maiorem inclinationem aut exigentiam vti, quam ut non sint (substantia enim omnipotentia Dei) ita hoc ipsum dicendum

dum est in ordine ad conseruationem, in qua etiam subsunt Deo. Tandem, quia sicut res non idem est possibilis, quia Deus eam potest producere; sed ideo eam potest producere, quia ipsa in se est producibilis, seu habet non repugnantiam ut producat; ita similiter non est annihilabilis, quia Deus eam potest annihilare, sed ideo illam potest annihilare, quia annihilabilis est ex se, ergo ex natura sua est defectibilis.

- 17 Hæc sententia merito à Suarez suprâ reicitur, est enim contraria omnibus ferè Scholasticis, imò & parum videtur conformis Lateranensi Concilio suprâ: dum enim animam naturâ suâ immortalem docuit, non voluit præcisè dicere, eam à creaturâ non posse destrui (hoc enim iam erat expressum in Evangelio, dum dicitur, Deum solum posse perdere animam & corpus) neque de hoc fuit difficultas cum aliquibus hæreticis; tota autem quaestio erat, an à Deo posset naturaliter destrui, nec ne: omnes enim supponunt, rem spirituales, à solo Deo pendentes, non posse nisi ab ipso destrui, ergo dum Concilium dicit, eam esse immortalem naturâ suâ, etiam loquitur respectu Dei ut auctoris naturæ, iuxta statim dicenda. Quod si argumenta Vasquez perpendantur, nimium probant: destrunt enim omnem ferè exigentiam naturalem, & miracula omnia, quæ & ab ipso admittuntur, siue existentia siue possibilia. Quod probo: nam iuxta ea argumenta, licet materia prima conseruetur sine quantitate, anima sine passionibus, &c. talis conseruatio non erit supernaturalis, quia non est supra vires Dei, ut constat, neque supra vires rei corruptæ, ut ipsemet dicit, dum ait, quancumque rem à Deo posse naturaliter destrui; neque erit supra vires materiæ, aut animæ taliter conseruata, quia hæc conseruatio non est bonum illius, sed potius contra illam, eo modo quo ipse dicit de destructione respectu Angeli; ergo sicut ob hanc rationem infert, destructionem Angeli non esse supernaturalem, ita etiam debet dicere, conseruationem materiæ sine quantitate non esse supernaturalem.

Alia etiam argumenta ibidem habent locum: nam ideo potest Deus materiam sine quantitate conseruare, quia illa est taliter conseruabilis, & non è contrario, ideo ipsa est taliter conseruabilis, quia Deus potest illam conseruare; ergo illa naturâ suâ est taliter conseruabilis, sicut supra argumentabatur, ergo sine miraculo. Eadem argumenta possunt etiam in aliis rebus miraculosis cum proportionem fieri. Respondeo ergo illis, Primò ad Patres, dicendum, omnia ea quæ possunt à Deo fieri, licet non naturaliter, sed miraculose, merito dici pendere ex ipsius voluntate, Angelus ergo & anima, licet naturaliter nequeat destrui, potest tamen diuinitus; ideo merito dicunt Patres, eos esse immortales de facto ex Dei voluntate, id est, à Dei voluntate provenire ut de facto non sint destruendi.

- 19 Ad Secundum dico, licet ea destructio non sit supra vires Dei, esse tamen contra exigentiam ipsius naturæ, ad modum quo conseruatio materiæ sine quantitate, aut sine formâ vllâ substantiali, & conseruatio essentia sine passionibus est contra exigentiam essentia; nec supernaturale debet in illo sensu accipi pro reita perfectâ, quæ excedat capacitatem subiecti, sed pro omni re contrariâ

seu supra exigentiam illius; sicut detentio lapidis in aëre, quæ tamen illi est contraria. Conseruatio desumpta ex rebus possibilibus nulla est, quia, ut sæpe dixi, possibilia in se nihil sunt magis quam Chimæra, quid ergo mirum, si tunc nihil possint petere? & consequenter, si nulla eis fiat violentia, dum non producantur? Ceterum quando iam semel existunt, possunt petere vel passionibus, vel alia accidentia, vel conseruationem sui.

Ad vltimum, fateor, rem ita diuinitus esse annihilabilem quia ex se talis est, debet tamen distinguere illud *annihilabilis*, id est, quia ex se sunt annihilabiles diuinitus, nõ quia ex se sunt annihilabiles naturaliter, sicut in sententiâ probabiliori concedente potentiam obedientialem seu actiua, seu passiuam intrinsecam ipsis rebus, certum est, tales res naturâ suâ esse eleuabiles, non quidem naturaliter, sed diuinitus & miraculose. Idem est, quod hæc, de annihilatione in Angelo & anima, neque video, quid specialius potuerit Vasquez inuenire in potentia passiuâ annihilationis, quam in potentia passiuâ intellectus, ut diuinitus eleuetur, vel ad recipiendam, vel ad efficiendam visionem beatam, & alia dona supernaturalia.

Dicendum ergo est, non repugnare creaturam aliquam, quæ semel producta petat naturaliter non destrui eo modo, quo petit naturaliter non carere passionibus, aut aliis accidentibus, licet diuinitus annihilari possit, sicut & diuinitus carere potest passionibus.

Præterea, sicut tu ipse dicis, animam non esse capacem naturaliter gratiæ & aliorum donorum, quia non habet ex naturâ suâ proportionem cum illis, cur eodem modo non dicis, non esse annihilabilem naturâ suâ, quia non habet proportionem ex se ferè exigentiam aut capacitatem talis destructionis, licet Deus possit tam facile illi dare gratiam, quam eam destruere, vel tam facile destruere, quam conseruare, si Deus secundum se consideretur.

Ratio à priori huius est, quia supernaturalitas non consideratur proprie respectu solius causæ efficientis, sed præcipue respectu naturæ, cui talis res dicitur supernaturalis; vnde in materiâ de visione dixi, nullam substantiam posse esse supernaturalem, quod tamen esse posset si supernaturalitas in ordine ad causam efficientem lumeretur. Licet ergo Deus, qui est causa efficiens, tam facile possit ex naturâ suâ Angelum & animam annihilare, quam conseruare, sicut etiam ex se tam facile potest gratiam producere, quam albedinem: quia tamen natura, id est Angelus vel animus, supra quem quasi cadit destructio, non habet exigentiam, sed resistentiam ad illam; ideo illa destructio absolute est supernaturalis, sicut ob eandem causam, gratiæ productio est supernaturalis, non supra vires Dei producentis, sed supra capacitatem subiecti recipientis.

Dices: Eo instanti, quo anima destrueretur, iam nihil exigeret, ergo non fieret contra exigentiam illius. Respondeo, eam petiisse id in instanti antecedenti, vnde fieret contra exigentiam, non quæ esset eo instanti, sed quæ antea fuerat: nam exigentia conseruationis semper est pro instanti sequenti, non pro eo in quo existit, iam enim tunc frustra peteret existere.

Hic discursus non probat determinatè, Angelum & animam esse naturâ suâ immortales, sed non

non repugnare naturam creatam immortalem ex se naturaliter, quod Vasquez vniuersaliter negauit, poteratque contra nos obici. Vnde autem probetur de facto id conuenire animæ, dictum est paulò antè.

SECTIO II.

Vtrum status separationis sit animo connaturalis.

CONNATURALIS potest vsurpari pro eodem ac naturale seu non-miraculosum: in quo sensu certum est ex Sectione I. statum separationis esse animo connaturalem, id est, non-miraculosum, quia anima naturâ suâ est immortalis. Aliter vsurpari potest connaturale pro non-violento, quo pacto aliquid naturale potest non esse connaturale, vt calor respectu aquæ; naturaliter enim in illâ producit, licet contra exigentiam illius, & consequenter violentè.

Aduerte, in præsentia Conimbricensibus reuiri ad rationem violenti, vt id, quod negatur subiecto cui fit violentia, possit efficienter ab ipso subiecto produci. idem opinatur Vasquez & alij. In contrarium stant multi, sed lis est de solo nomine, id est de significatione vocis *violenti*: de re hoc certum, posse alicui subiecto naturaliter deberi aliquam formam, quæ tamen non petat ab ipso efficienter produci, vt debetur materiæ, forma substantialis, & in sententiâ Thomistarum Angelo in primo instanti species rerum creatarum. Tunc autem, si talis forma subiecto negetur, non dubium, quin illi fiat quasi iniuria, eritque talis negatio contra inclinationem illius: in quo sensu quarimus, an separatio sit contra exigentiam animæ, siue ea separatio dicenda sit violenta, siue non, quod est de solo nomine: in quo non placent Conimbricenses & Vasquez; omnes enim communiter dicunt, essentiam esse violentam sine passionibus, lapidem extra centrum, materiam sine omni formâ, cum tamen communius doceatur, passiones non produci ab essentiâ, nec motum lapidis ab ipso lapide, nec formam substantialem à materiâ: ergo ad rationem violenti in communi acceptione non requiritur esse contra efficientiam, sed sufficit esse contra exigentiam subiecti.

Aduerte deinde, posse aliquam formam magnopere perficere subiectum etiam naturaliter, quin à subiecto exigatur, & consequenter, quin eius carentia sit illi violenta. Lux v. g. naturaliter perficit aërem, non tamen illi debetur, nec enim sine illâ est in violento statu. Item animus rationalis multò magis perficit materiam quàm forma bruti, & tamen non debetur determinatè materiæ animus rationalis, & à gratiâ supernaturali quæ multò minùs est debita, perficitur valdè animus rationalis & Angelus.

Ex his Primò dicendum est, etiamsi in statu separationis anima magis perfecta sit accidentaliter, vt infra dicemus, quàm in statu coniunctionis, non tamen idèò formaliter illam exigere separationem naturaliter, ita vt carentia illius sit violenta; sicut, licet perficiatur magnopere per cognitionem etiam intra corpus, non tamen est violenta, dum non cognoscit, aut dum caret gratiâ. Ratio est, quia non quacumque maior per-

fectio eo ipso debetur subiecto. In speciali autem de separatione probatur, quia animus rationalis non inclinatur naturaliter in separationem, imò ei resistit, & naturâ virtute proprias conatur recuperare dispositiones vt maneat in corpore, easque retinet tamdiu, quamdiu à vehementiori contrario non superatur, ergo non appetit separationem.

Secundò dicendum est, animum, quantum est ex se physice consideratum, semper inclinari ad vnionem, ideoque separationem & conseruationem extra corpus esse aliquo modo contra inclinationem illius physice considerati. Hæc probatur, quia animus separatus est physice incompletus & imperfectus substantialiter, ergo physice inclinatur ad vnionem, quæ substantialiter compleatur & perficiatur: omnis enim res appetit naturaliter complementum & perfectionem substantialem propriam. Dixi, quantum est ex se: nam appetitu absoluto non potest anima separata in vnionem perpetuam inclinari, cum hæc sit naturaliter impossibilis, & vt dixi in Physicis, non detur appetitus ad rem naturaliter impossibilem, solum ergo quantum est ex se illam appetit, id est, conditionatè, si esset possibilis, sicut materiam appetere formas corruptas, dixi in Physicis. Ex his fit, statum separationis non esse physice violentum animæ absolute & simpliciter, quia cum non detur in animâ absolutus appetitus & exigentia respectu perpetuæ vnionis, ob rationem dictam, non potest negatio vnionis illi esse absolute violenta, sed solum secundum quid, sicut ipse appetitus solum est secundum quid. Et hinc intelliges, quâ ratione possit status ille perpetuus esse, licet nihil violenti perpetuum: intelliges, inquam, quia hoc axioma solum est verum de violento absolute dicto, quod est contra naturalem inclinationem ac exigentiam, ac proinde debet aliquando ab ipsâ naturali exigentiâ tolli; at violentum secundum quid potest perpetuum esse, quia non est contra exigentiam naturalem simpliciter loquendo, ac proinde non sunt in naturâ vires ad illud tollendum.

Sed obicies: Perfectiores operationes exercet anima separata quàm vnita, ergo nullo modo, neque conditionatè, inclinatur ad vnionem. Propter hoc dicendum est Tertio, statum separationis nullo modo esse contra inclinationem elicitam ipsius voluntatis, imò maxime illi conformem (loquor de illâ in purâ naturâ.) Probatur, quia in primis animus in eo statu expertus est omnis molestiæ, famis, doloris, &c. aliunde autem perfectius & sine tanto labore intelligit extra quàm in corpore, ergo non est cur optet corpori vniri. Quod enim tunc physice incompleta sit, parum ipsius interest quatenus cognoscitur & appetitur: vt sic enim non tam mouetur à bono purè physico, quàm à carentiâ malorum quæ in corpore patiebatur, & à bonis intentionalibus quæ extra corpus apprehendit. Neque hæc conclusio contrariatur præcedenti, in quâ non loquimur de appetitu elicto, sed de innato, hic enim cum non sit ex cognitione, sed ex ipsâ naturâ anteuertente cognitionem, non tam fertur in bona quæ proueniunt animo à cognitione, quàm in perfectionem & complementum physicum ac naturale ipsius animæ. Cum autem hoc illi proueniat ab vnione, inde fit, vt appetitu innato magis in-

Yyy 3

illam

illam quàm in separationem inclinetur, licet appetitu elicitò præferat separationem vnioni. Possit v. g. hominem miraculosè à Deo in aëre conservari, ibique innumeris frui voluptatibus, sanè propriâ & innatâ gravitate appetet eum locum deserere, & infrâ descendere, ideoque si non impediatur à Deo, descendet statim; ceterum appetitu elicitò non amabit infrâ descendere, sed potius id fugiet, ergo rectè stat, appetitum elicitum contrariari innato, quia hic fertur ad complementum & perfectionem physicam, ille verò ad intentionalem: idè contingeret casu, quo v. g. Deus daret optionem homini inter subsistentiam, quam suppono posse diuinitus tolli, & visionem beatam, certè absolute loquendo multò melior est homini statio beata, quàm propria subsistentia: ideoque cordatus quilibet præferret visionem subsistentiæ. Nihilominus tamen appetitus innatus illius non in visionem, sed in subsistentiam ferretur, quia sine hac est physicè & substantialiter incompleta humanitas, appetitus autem innatus primò fertur ad substantiale complementum, elicitus autem potest ferri prius ad accidentale, imò ad casuale quàm ad substantiale, & etiam ad illa quæ innatus nullo modo appetit, sed aliquando horret. Ecce ergo, quæ status separationis sit iuxta inclinationem animæ, quæ contra illam; est enim conformis appetitui elicitò, non verò naturali.

Rogabis: Vnde ergo provenit horror mortis, cum separatio non sit contra elicitam inclinationem? Respondeo, horrorem mortis in peccatore vel in eo qui anceps est de salute, oriri ex timore supplicij propè instantis, in iustis verò habentibus de salute aliquam certitudinem, non datur communiter talis horror: magis enim gaudent de morte quàm de vitâ; displicentia autem simplex in morte, quæ omnibus hominibus communis est, provenit ex dolore qui in illâ sentitur ex separatione à cognatis & amicis ceterisque charis rebus: sicut cum quis ex vno loco in alium proficiscitur, tardè aut numquam reuersurus, tristatur aliquantulum propter eam separationem, licet absolute & simpliciter illam appetat, quia tunc bona ea præsentia, quæ deseruntur, affligunt, etiam si fortè, postquam alia gustaverit, non vellet ad priora redire. Et hoc modo intellige, quæ ab aliquibus docentur, scilicet, separationem animæ à corpore in fieri esse violentam, non verò in facto, quod ex dictis satis declaratum est.

SECTIO III.

Quæ possit anima in statu separationis efficere.

ANIMAM habere extra corpus potentias, & materiales & spirituales, omnino certum est in nostrâ sententiâ, eas non distinguente ab animi substantiâ. Aduerte tamen, absolute non concedendum, in eo statu habere potentias materiales v. g. visivam, auditivam, &c. Licet enim habeat principium effectuum earum operationum, non tamen habet principium inadaquatæ receptionis; neque dispositiones, quibus egerat sensationes materiales efficiendas. vnde absolute dicenda est, non habere ibi eas potentias. Sicut homo cæcus, licet habeat in re prin-

cipium effectuum visionis, quia tamen illi deficiunt dispositiones requiritæ ad videndum, dicitur carere potentiâ visivâ. Quod si potentia realiter distinguatur, dicendum est, animam ferre secum potentias spirituales, intellectivam & volitivam: cum enim hæc nullo modo pendeant à materiâ, magis quàm ipsa anima, poterunt extra illam conservari: potentias verò materiales non manere in ipsâ animâ, quia in illâ non habent sufficiens subiectum, requirunt enim, quia materiales, materiale subiectum vt minimum inadaquatum.

SECTIO PRIMA.

Quid de cognitione & eius principijs.

Ex his fit Primò, animam separatam non posse efficere actus materiales, quia & deficit subiectum in quo recipiantur inadaquate, & deficiunt dispositiones materiales ad eos actus requiritæ, & etiam species materiales, quæ necessariae sunt ad sensationes materiales. Secundò: contrariò fit, posse animam separatam efficere actus spirituales volendi & intelligendi, quia & principia & subiecta, & omnia requiritæ ad illos actus dantur in statu separationis. Vel enim conservat species spirituales, quas habuit in corpore, de quo statim; vel saltem loco illarum Deus ei alias, vt auctor naturalis, tenetur infundere. Hæc certa sunt apud omnes.

Dubitari autem potest Primò, an anima se cum ferat species impressas, & habitus spirituales, quos habuit in corpore. Ratio dubitandi est, quia ex vnâ parte cum illæ species sint spirituales, videntur posse independentè à materiâ conservari; ex aliâ verò, cum anima separata habeat perfectiores multò cognitiones quàm habuerit in corpore, vt infrâ dicemus, videtur inferri, non egere tunc speciebus imperfectis, quas prius habuit in corpore. Communis & vera huius difficultatis resolutio est, animam separatam ferre secum species eas quas habuit in corpore. Hæc probatur ratione à priori suprà pro primâ parte dubitante adductâ ex independentiâ earum specierum à corpore. Secundò, ab experientia, quæ recordatur animam separatam earum rerum quas in corpore egit, & cognovit, vt constat ex pluribus historiis, & ex Scripturâ, vbi inducuntur damnati agentes de his quæ in hac vitâ commiserunt. Videatur Liber Sapientiæ. Ex parabola item Iovis epulonis idem constat. Ergo quia retinuerunt species, quas habuerunt in corpore; alioquin non recordarentur.

Dices, recordari per alias species infusas à Deo. Sed contrâ Primò, quia fortè anima non accipit species à Deo, sed eas acquirit ex obiectis; ex his autem non potest acquirere species memorativas, ergo retinet priores. Contrâ Secundò, quia si id cognosceret per species infusas à Deo, & non per retentionem earum quas habuit in corpore, omnes animæ deberent omnia cognoscere quæ in mundo contigerunt, quia omnibus à Deo eodem debebant species infundi. Contrâ Tertio, quia damnatis non infundit Deus species perfectiores, id enim esset illos curare, ergo illi non recordantur per species infusas perfectiores, sed quia retinent quas in corpore habuerunt.

buerunt. Tandem, quia quando aliunde habent species, non est vlla necessitas fingendi, illas de-
strui, & novas alias illorum loco produci.

34 Ad rationem dubitandi secundo loco adduc-
tam respondeo facile, animam separatam habere
quidem multas cogitationes, perfectiores illis
quas habuit in corpore, cum quo bene stat, ut
habeat alias plures aequales & similes his quas in
corpore habuit, sicut homo adultus, licet habeat
cognitiones multas perfectiores eis quas habuit
puer, habet tamen alias omnino similes, ad quas
deferuntur priores species. Idem dicitur in animâ
separatâ. Adde, fortè etiam cum eisdem specie-
bus illam efficere perfectiores cogitationes, sicut
inter homines ex eisdem speciebus visus vnus de-
terminatur ad meliores discursus, quàm alter.

Secundò dubitari potest, vtrum anima sepa-
rata habeat species impressas, quibus substantias
quidditatiuè & intuitiuè in seipsis cognoscat.
Non disputo, vtrum illa species perfectiores in-
fundantur à Deo, an acquirantur ex ipsis obiectis:
hac enim questio est eadem cum illâ quæ de An-
gelis disputari solet, ut insinuat Disputatio tr.
de Angelis, à num. 25. vbi dixi, probabile esse, eos
accipere aliquas species ab obiectis, & aliquas et-
iam eis infundi; quod idem etiam dicendum est
de animâ, casu quo eas species perfectiores ha-
beat, de quo vltimo tantum in præsentî dubita-
mus, D. Thomas 1. Part. quest. 89. art. 1. ad 3.
quem omnes communiter sequuntur, docet, ani-
mam multo perfectiores species, & modum in-
telligendi habere in statu separationis, quàm in
statu coniunctionis. Hæc probari solet, quia ani-
ma separata habet perfectiorem modum essendi,
quàm coniuncta, est enim magis independens à
corpore, imitaturque magis modum essendi An-
gelicum, ergo debet habere perfectiorem modum
intelligendi, hic enim conformatur modo essen-
di. Non fido multum huic rationi; fortè enim ha-
bet anima in corpore perfectiorem modum es-
sendi physicè quàm extra illud; in corpore enim
est substantialitèr completa potensque exercere
operationes omnium potentiarum, etiam mate-
rialium; aliunde autem, licet in corpore sit, non
tamen pendet ab illo magis in suo esse, quàm si
esset separata, ergo perfectiorem modum essen-
di habet in corpore, quàm extra illud, ergo hinc
non potest inferri, eam extra corpus habere per-
fectiorem modum cognoscendi.

36 Dices: Perfectiorem modum essendi habet
extra corpus, quia perfectiùs potest cognoscere.
Sed contrâ, quia in hac ratione committis mani-
festum circulum; probas enim eam perfectiùs in-
telligere, quia habet perfectiorem modum essen-
di, & habere hunc, eò quod perfectiùs possit in-
telligere.

Meliùs ergo potest hæc veritas suaderi, quia
anima in corpore intelligit dependenter à phan-
tasmatibus, & à materialibus speciebus per sen-
sus acceptis, quæ cum solum sint species acci-
dentium, solum per illas potest anima intuitiuè
accidentia cognoscere, & nec quidem omnia; ex
illis autem abstractiuè & imperfectè deuenit in
cognitionem substantiæ. Ceterum, quando est se-
parata, nec coarctata sensibus materialibus, acci-
pit species proprias vel ex ipsis obiectis, siue sub-
stantialibus siue accidentalibus (habet enim vir-
tutem eas in se simul cum obiecto producendi, ut

in corpore eas producit simul cum phantasma-
tibus) vel si hoc tibi videtur durum, saltem pœ-
tunc à Deo sibi infundi species. Cum enim na-
turâ suâ sit cognoscitiua, debet vel habere natu-
ralem virtutem sibi comparandi principia
requisita, inter quæ sunt species, vel debet petere
ut ab extrinseco, à Deo scilicet auctore naturæ,
ei infundantur; ergo anima separata habet species
37 proprias & immediatas substantiarum & acciden-
tium, & consequenter potest eas substantias mul-
to perfectiùs, quàm in corpore, cognoscere. Præ-
terea accidentia spiritualia, item & substantias
spirituales cognoscit immediatè sine interuentu
speciei, quando debite approximatur, sicut ta-
ctus, gustus, olfactus cognoscunt sua obiecta sine
interuentu speciei, eò quod approximata sint, nec
appareat vlla necessitas ponendi species interme-
dias. Idem de Angelo & animâ separatâ respectu
obiecti spiritualis approximati dicendum est: ex
quo fit, quidditatiuè & intuitiuè ab illâ cognosce-
res spirituales, quas in corpore vix nouit nisi per
discursum; habet ergo extra corpus longè perfe-
ctiores species & cognitiones, quàm in illo.

Sed rogabis Primò circa hoc, quarum rerum
animæ in particulari habeant species in statu se-
parationis. Respondeo, si anima accipiat species
ab obiectis (ut eas accipere dixi esse probabile)
38 naturaliter loquendo solum posse eorum ob-
iectorum quibus approximata fuerit, species habere:
nam ab illis solum poterit species accipere.
cum enim obiecta concurrant ad productionem
earum specierum in animâ, & ad hoc requiratur
approximatio, solum ea obiecta poterunt concu-
rere, quibus approximata fuerit anima, neque
ad hoc requiretur immediata approximatio cum
obiecto. Si enim hoc diffundit species per me-
dium, sufficit si accedat ad locum vbi tales spe-
cies sunt. Verum in hoc multum diuinatur, quia
non scimus, qualis sit natura earum specierum,
aut animæ in ordine ad accipiendas eas species ex
obiectis. Quod si eas species accipiat à Deo, quib-
us est, quarum rerum Deus illi species infun-
dat; pro quo nulla potest statui certa regula. Non
volo amplius diuinare.

Rogabis Secundò, vtrum anima separata sit
capax discursus. Negant nonnulli, quia cognoscit
res immediatè in seipsis. Oppositum vult cen-
seo, quod probo Primò ad hominem ex aduersa-
39 riis, quia in animâ separatâ manent species quas
habuit in corpore, & per illas potest operari; sed
multæ ex illis sunt discursivæ, ergo saltem per il-
las poterit discurre. Secundò idem probo, quia
non omnia cognoscit anima immediatè, neque
enim habet species omnium rerum possibilem,
ergo poterit ad ea, quorum non habet species,
discurre ex his, quæ immediatè cognoscit: ob
quam rationem etiam Angelos discurre, docui
de illis disputans. Ad rationem oppositam re-
spondeo, admittendo, animam non posse discurre
circa illa quæ immediatè cognoscit, verum
nego non posse circa alia.

Tandem aduerte, in animis Beatorum non
manere species erroneas, sunt enim illi statui re-
pugnantes; nec in animis damnatorum habitus &
species supernaturales, quia ipsi tunc sunt illis
indigni. De habitu fidei, an maneat in Beatis,
non est huius loci.

SVBSECTIO SECVNDA.

De motu locali.

40 **T**ERTIO-principaliter dubitatur, vtrum anima separata possit & seipsam & alia à se mouere localiter. Animam in eo statu absolutè esse capacem motus siue à se siue ab alio, certum omnino est, contra Durandum & alios, quia anima ex sua essentia non est alligata huic spatio imaginario potius quàm alteri. Quod vel inde constat, quia in quocumque loco potest homo mori, & consequenter in quocumque loco potest anima separari à corpore, ergo non est alligata alicui loco determinato, ergo potest illum deperdere, & poni in alio. Confirmatur: quando homo moritur, non manet necessariò anima in eà parte in quà moritur, sed aliò fertur, ergo est capax mutandi locum. Hoc ergo posito,

Nonnulli negarunt animo virtutem seipsam mouendi, quia potentia loco-motiuà, quam habet in corpore, est materialis: sed hanc non fert secum quando separatur, quia nihil materiale secum portat, ergo non potest seipsam mouere.

41 **C**ontraria sententia communior & verior est, quam opposito argumento probo, quia potentia loco-motiuà non distinguitur ab ipsa animà in nostrà sententià, imò etsi distinguatur, debet esse spiritualis: nam motus ipsius animæ, qui est actus eius potentie, est spiritualis, ergo in animà separata manet potentia loco-motiuà sui, quam habuit in corpore, ergo poterit per illam se mouere. Confirmatur: difficilius est, se & corpus mouere, quàm se solam; sed potens est se simul cum corpore mouere, quando illi est vnita, ergo melius & velocius poterit se sine grauitate corporis mouere. Confirmatur vltèrius: vnio ad corpus ad summum potest esse conditio, vt anima moueat corpus, verum vt seipsam moueat, non est vnde possit requiri; ergo si vnita ad corpus se mouet, poterit se mouere non vnita.

42 **D**ifficilius est, vtrum possit & alia à se. Affirmant Conimbricenses, negant alij. Hi mouentur hac vnica ratione, quia anima est forma corporis, ergo non est capax illud mouendi nisi vt forma illius, ergo separata, cum non sit actu forma informans, non poterit actu illud mouere; quo differt ab Angelo, qui cum non sit forma, sed ens completum, est capax mouendi alia à se. Hæc ratio non est firma. Primò, quia etiam ob eam posset quis dicere, animam non posse se mouere, nisi actu informaret corpus, quia eadem de vtroque videtur esse ratio; hoc autem non admittes, ergo. Secundò, quia gratis omnino infertur, ex eo quòd sit forma, non posse alia mouere nisi per modum formæ, cum oppositum vi-

deatur omnino certum: etenim anima, dum est in corpore, non solum potest se & suum corpus cuius est forma, mouere, sed etiam imprimi impulsu lapidi v. g. cum quæ à se longè proicit, cum tamen non sit forma lapidis, ergo poterit separata suum corpus mouere, licet non sit actu forma illius. Paret consequentia, quia esse formam actu corporis, non efficit esse formam lapidis, ergo si vnita corpori potest lapidem mouere, etiam non vnita poterit illum eundem lapidem, vel aliud corpus mouere. Confirmatur: vnio ad corpus non potest esse conditio ad mouenda alia corpora, nisi vt summum quando illa expellit loco per positionem sui in illo; tunc enim ob impenetrabilitatem quantitatum præcisè illud expellit; ad expellendum autem v. g. lapidem longè à se, cum id non oriatur ex impenetrabilitate, sed ex impulsu ab animo impresso lapidi, non videtur necessariò requiri vnio ad corpus, ergo si vnita corpori imprimi lapidi impulsu, & illum poterit imprimere non vnita.

Dices fortè: Etiam ad imprimendum impulsu iuuatur anima à quantitate; semper enim, quando illum imprimit, id præstat per impenetrabilitatem cum corpore proiecto; atqui separata non habet eam impenetrabilitatem, ergo non poterit per impulsu mouere. Respondeo, etiam si semper cum impulsu coniungatur motus proprius, id tamen esse per accidens: nam ratione impenetrationis solum debebat corpus expelli vsque ad illum locum quò pertingit manus impellens, ad vltiorem autem motum, vel duos vel tres vel centum passus à manu quò proicitur corpus, per accidens se habet impenetrabilitas manus, ergo anima, etiam si separabilis sit, poterit tamen alia per impulsu à se proicere. Hæc vltèrius confirmantur ex pluribus apparitionibus auctoritate grauissimorum hominum certis, è quibus constat, animas post mortem & seipsas & secum aërea corpora, in quibus loquebantur, deportasse, quæ omnia cum possint sine miraculo in virtutem loco-motiuam animi reduci, non est cur in solum Deum refundantur. Ob hæc probabilior puto Conimbricensium sententiam, scilicet, posse animam etiam alia mouere; quia licet nulla sit repugnantia in eo, quòd detur aliqua substantia motiuà sui, quæ alia à se mouere non possit, non est tamen cur virtutem motiuam animi, quam in corpore videmus, extendi etiam ad alia extra se & ad ea quæ non informat, eam inquam virtutem coarctemus, dum est extra corpus, ad solum motum sui, cum nulla sit ratio ad id nos cogens, nec quidem probabiliter. Videantur Conimbricenses suprà Disputatione 6. art. 2. & seqq. vbi de his & aliis quæstionibus minoris momenti fusè & eruditè tractant: eas omitto, quia ex dictis facillè decidi possunt.

